Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

similiter dicitur donanti principium pater est. Quod ex patre procedit et filio, ad eum refertur a quo natus est filius. Et quod dicit euangelista: Spiritus nondum erat datus quia Iesus nondum erat glorificatus, quomodo intellegitur nisi quia certa illa spiritus sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis numquam antea fuerat? Neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat. Si enim antea spiritus sanctus non dabatur, quo impleti prophetae locuti sunt? Cum aperte scriptura dicat et multis locis ostendat spiritu sancto eos locutos fuisse, cum et de Iohanne baptista dictum sit: Spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris suae; et spiritu sancto repletus Zacharias invenitur pater eius ut de illo talia diceret; spiritu sancto Maria ut talia de domino quem gestabat utero praedicaret; spiritu sancto Symeon et Anna ut magnitudinem Christi parvuli agnoscerent.

Nota totum istud.

Quomodo ergo spiritus nondum erat datus quia Iesus nondum erat clarificatus, nisi quia illa datio vel donatio vel missio spiritus sancti habitura erat quandam proprietatem suam in ipso adventu qualis antea numquam fuit? Nusquam enim legimus linguis quas non noverant homines locutos venienti in se spiritu sancto, sicut tunc factum est, cum oporteret eius adventum signis sensibilibus demonstrari, ut ostenderetur totum orbem terrarum atque omnes gentes in linguis variis constitutas credituras in Christum per donum spiritus sancti, ut impleretur quod in psalmo canitur: Non sunt loquellae neque sermones quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exiit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum. Verbo itaque dei ad unitatem personae copulatus et quodammodo commixtus est homo, cum veniente plenitudine temporis missus est in hunc mundum factus ex femina filius dei, ut esset et filius hominis propter filios hominum. Hanc personam angelica natura figurare antea potuit ut praenuntiaret, non expropriare ut ipsa esset.

XXI. De sensibili demonstratione spiritus sancti et de coaeterna trinitate unitati.

De sensibili autem demonstratione spiritus sancti sive per columbae speciem sive per linguas igneas, cum eius substantiam patri et filio coaeternam pariterque